



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

22. S. Catharina Birgittæ Filia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

chiis Rosarium cum affixo officio minori de SS. Legislatore. Lateamus, ut placeamus coelo, & prosumus ordini tam sancto.

## Festum S. Catharinæ Suecæ

S. Brigittæ Filix Speciosissimæ.

### EXHORTATIUNCULA I.

**F**ili! nunc gaudet S. Catharina, quòd per quatuor horas quotidie illacrimata sit patienti Jesu. Hoc gaudium quando incipiet in cordibus nostris? Heu! deliciis velle diffluere, dum Jesus satiatur opprobriis, quàm indigna res Christianò? Bernardus monuit: non decet, sub spinoso, & percusso capite membra delitescere delicata. Ad compassionem ergò.

#### *Instructio meritoria.*

Hanc exhibemus Christo, si hodiernas adversitates, per manus S. Catharinæ obtulerimus! imò & unierimus cum doloribus Jesu, recitandò desuper Rosarium Dolorosum flexis coram Sanctissimo genibus cum aliquot terræ osculis. Christus in Cruce: & ego.

M 7

Uc



## II.

**U**T sua sanctè initiaret opera S. Catharina, quid egit? Semper unum præmisit *Ave*. Neque eò nondum recitatò, ulli etsi consulta, dedit responsum. Tanti erat huic Virgini, primitias dare Mariæ. Sequamur ô fili! & feliciora succedent opera nostra. Salutantes resalutat cœlorum Regina, & propitia Parens.

*Instructio meritoria.*

Omnia salutis, & æternitatis negotia commendemus hodie Deiparæ, recitatò Lytanas Lauretanas cum formula Votiva. Errat, qui diem, vel opera à Maria non inchoat.

## III.

**O**Tremor! videt S. Catharina totum mundum jam incendiò involutum, certò periturum, nisi pro eo ad Deum incederet Maria. Fili! quoties & nos ruinæ spiritualis in causa sumus? Et fuimus? Conservavit tamen Maria. Doleamus interim.

*Instructio meritoria.*

Et pro conservatione totius Reipublicæ

lica



licæ Christianæ, pro aversione omnis mali, & supplicii ad Psalmos 7. pœnitentiales confugiamus, eos recitando quàm zelosissimè. Justus est Dominus! Verùm & longânimis, & multùm misericors, si nostram viderit pœnitentiam.

Festum Annuntiationis à S. Gabriele Beatissimæ Virgini Mariæ factæ.

### EXHORTATIUNCULA I.

**G**Audeat filius! hodie enim est dies salutis nostræ! Hodie Incarnatum est Verbum Dei! adeò Deus dilexit hominem, ut suum daret Unigenitum, ut redimeret & salvaret perditum. Quanta ergò non sit nostra cordis innocentia, ne annuntiantem turbemus Angelum? Recederet, si anima deficeret.

#### *Instructio meritoria.*

At teneamus, nec dimittamus: Est enim Angelus pacis. Quòd missus sit à SSS. Trinitate in Redemptoris negotium, recitemus Psalmum, cujus initium: *Benedic anima mea Dominum &c.* cum novem Pater & Ave, ac totidem oscu-

li